



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. XX. Vnde habeant opera iustorum, vt magis meritoria sint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

est quidem
probabile,
sed non ne-
cessarium
ad iustiti-
um.

cessarium ut coronam gloriæ detur adultis illam merentibus propter meritum Christi, & proprium tantum propter duas causas proximas & immediatas, scilicet datur gratia, & gloria parulis propter meritum Christi tanquam propter causam proximam, & quasi particularem, quia non est necessarium multiplicare huiusmodi causas circa eundem effectum, & quia non est promissa beatitudo adultis propter Christi meritum quasi propter causam totalem, & integram, ut conditum à merito ipsius adulti. At vero si meritum consideretur per modum causæ vniuersalis, influens cum meritis nostris, eo quod ipse Christus meruit, ut nostra merita acceptarentur ad premium propter eadem sua merita illis promissum, sic recte intelligitur gloriam dari adultis non tantum propter meritum proprium, sed etiam propter meritum Christi diuersa ratione spectatum.

C A P V T XX.

Vnde habeant opera iustorum, ut magis meritoria sint.

1. **S**uppono quod per se notum videtur, & de fide Merita iustorum sunt, merita iustorum esse inæqualia non solum in diuersis iustis, sed etiam in eodem. De diuersitate istius probatum est supra libr. 9. ubi ostendimus, gratiam, vel primam, vel secundam, & consequenter etiam gloriam esse in diuersis iustis inæqualia. Eadem enim ratio est de inæqualitate meritorum, quia si in dispositionibus ad gratiam potest esse inæqualitas, & ideo gratia inæqualis infunditur, etiam in operibus meritorijs diuersorum hominum potest esse inæqualitas, nam est eadem ratio. Et similiter si præmia inæqualia sunt, etiam merita. De eodem autem iusto pro diuersis temporibus, vel actibus eadem est ratio, & ex dicendis euidentius declarabitur. Hæc ergo inæqualitas meritorum consistere potest, vel in multitudine, & paucitate operum, vel in eodem numero operum, seu in duobus operibus inter se collatis, seu (quod perinde est) in eodem opere habente plures, vel pauciores condiciones meriti.

2. **A**ssertio 1. Primo ergo dicendum est, multitudinem bonorum operum per se conferre ad augmentum meriti, si cætera sint paria, seu si nouum opus præcedentibus meritis addatur. Probatur, quia maius est totum sua parte, sed maior numerus bonorum operum comparatur ad minorem sicut totum ad partem in ratione meriti: ergo in maiori multitudine bonorum operum, cæteris paribus, est maius meritum, ac proinde ex augmento operum secundum numerum augetur meritum, si cætera paria sint. Ut euidenter patet, quando præcedentibus meritis nouum opus meritorium additur, nam tunc præcedens cumulus fit maior per additionem noui operis boni, & hoc opus per se affert nouum meritum, nam supponimus esse meritorium, ergo augetur inde totum meritum. Quamuis autem hoc videatur per se satis euidentius, exponendum nihilominus est, an hoc augmentum meriti extensiuum tantum, vel etiam intensiuum censendum sit? Quæ interrogatio intelligi potest dupliciter, vno modo ex parte actuum, quibus fit meritum, illos absolute, & secundum esse physicum, ac reale considerando. Alio modo fieri potest interrogatio de ipso merito moraliter considerato, seu in esse meriti, & per comparisonem ad premium. In priori sensu nullam habet questionem, cum quia illud augmentum fit per multiplicationem meritorum, quod augmentum multitudinis extensiuum est secundum modum quantitatis discretæ: tum etiam quia ex multis actibus meritorijs non fit vnus intensior singulis: sicut ex multis caloribus remissis non fit vnus intensior, quia non vniuntur inter se ad vnum intensiorem calorem componendum.

Dubium
duplicem
sensum ha-
bens.

Resoluitur
in priori
sensu.

Idem ergo est de pluribus actibus meritorijs absolute, & secundum suum esse reale spectatis. In alio vero sensu interrogatio aliquam dubitationem habet.

Quidam enim Theologi moderni dixerunt, hoc augmentum bonorum operum non conducere ad premium intensius perfectius obtinendum, ac proinde non posse dici intensiuum, sed tantum extensiuum sub quacunque ratione consideretur. Ita sentiunt, qui dicunt plura opera æqualia non augere intensius premium, vel si inæqualia intentione sint, premium commenfurandum esse intensiori operi tantum, ac subinde alia non augere intensius premium, & consequenter neque meritum. Fundari potest primo, quia æqualia opera non augent intensius habitum, vel si sint inæqualia, non possunt habitum augere ultra gradum intensioris actus: ergo neque possunt premium augere intensius. Confirmatur, quia in merito de condigno seruanda est proportio præmij ad meritum: at intentio præmij v.g. vultus beatæ excelsæ perfectionem singulorum actuum meriti est improporcionata singulis actibus: ergo etiam toti collectioni eorum. Probatur consequentia, quia in tota collectione actuum ut quatuor, v.g. non est aliquis gradus proportionatus quinto gradui addendo in præmio. Maxime cum in Philosophia probabile sit gradus intentionis esse aliquo modo diuersarum rationum, ita ut qualitas v. quatuor non possit fieri ut quinque per additionem alterius quarti gradus, sed solum per eum, qui secundum proprium ordinem quintus est, & quantum per se supponit. Et inde est, ut plura calida ut quatuor non possint efficere vnum calorem ut quinque: eadem autem improporcionatio reperitur inter plura merita, & premium vnum intensius omnibus illis: ergo meritum de condigno non potest hoc modo intensius augeri ex sola multitudine operum bonorum. Dicit ergo hæc opinio, augmentum illud etiam per comparisonem ad premium esse extensiuum, quia vel plura merita illis operibus respondent, vel vnum diuersis titulis, non vero in se maius.

Eius ratio.

Confirmatio.

Hæc vero opinio virtute est in superioribus reprobata: ostendimus enim per singula opera meritoria, siue intensiora, siue æqualia, siue remissiora sint, mereri hominem essentiale premium. De quo sine dubio loquitur Paulus 1. ad Corinth. 3. cum dicit, vniquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, ut ibi optime D. Thom. lect. 2. exponit, & in superioribus probatum est. Et de eodem loquitur Christus Matt. 25. cum dicit ad electos. Venite benediciti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, & illatum numerat multitudinem operum, per quæ premium illud obtinetur. Et de eodem loquitur Concilium Triden. sess. 6. can. 31. cum definit, iustum per sua bona opera vitam æternam, eiusque augmentum mereri. Ex hoc ergo principio concludimus, per multitudinem operum, seu per additionem cuiuscunque operis meritorij de condigno augeri meritum intensius in esse meriti, seu (quod perinde est) in ordine ad premium, quod intensius perfectius tali cumulo meritorum respondet. Probatur, quia premium essentiale respondens omnibus, & singulis operibus iustorum meritorijs de condigno vnum est, vel obiectiue respectu omnium, vel, quod ad rem magis spectat, formaliter in singulis, quia in omnibus est vna diuina essentia, in singulis vero etiam vna gloria, seu vna visio beatæ amoris, delectationis, & alijs quasi proprietatibus comitantibus illam. Hoc ergo premium non potest augeri extensius secundum multitudinem, seu extensionem discretam, ut sic dicam: ergo augendum est intensius per multitudinem meritorum. Cum n. in illo præmio duo sint, scilicet obiectum, & actus, ex parte obiecti secundum se non est magis, neque minus, quia totum omnibus datur, licet non totaliter, & prouenit ex parte actus, & quasi per denominationem ab illo, ergo maius augmentum præmij illius tantum in actu ipso,

Resoluitur
opinio præcedens.

ipso, vel consequenter etiam in habitu inueniri potest. At vero premium illud intensius tantum augeri potest, quia debet esse verum augmentum in ipso actu, alias non esset augmentum in essentiali premio: ergo necesse est, ut multa opera meritoria quali copulentur, & ex eis confect ex eo capite meritum operis, & ideo actualis, seu formalis relatio magis augeat, quam solavirtualis, & intensius charitatis imperium, seu ex ardentiori affectu procedens, magis quam remissius. Et eadem ratione quodlibet imperium distinet virtutis augebit actum alterius in merito, magis quidem, vel minus iuxta suae perfectionis gradum, & secundum modum in superioribus declaratum. Et hac ratione dixit D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 6. opus ex voto factum ceteris paribus magis meritorium esse, quam sine voto factum.

6. *Confectarium quod etiam inflatur declaratur.* Vnde fit, quod etiam rem declarat, ut meritum plurimum actuum in ordine ad premium tantæ perfectionis intensius æquivalere possit, vel etiam excedere meritum vnius actus superantis in intentione omnes actus illius multitudinis, quæ sicut ex intentione actus augeatur premium, ceteris paribus, ita etiam ex multitudine actuum: ergo potest hæc multitudo esse tanta, ut superet valorem intentionis, cum ille finitus sit. Estque hoc per se spectatum valde consentaneum rationi, & diuinæ iustitiæ, ac providentiæ, sub qua hæc moraliter consideranda sunt, & non tantum secundum physicam proportionem. Et id eo fundamentum contrariæ sententiæ nullius momenti est. Nam principalis ratio falsum sumit, nam in lib. 9. ostensum est, per actus remissos posse habitum meritorie augeri. Confirmatio autem procedit tantum secundum physicam proportionem, quæ non est necessario in re morali seruanda. Præsertim cum actus non solum in eadem specie remissior, sed etiam in specie ipsa ignobilior, possit idem essentialiter premium, vel augmentum eius de condigno mereri. Vnde dicimus, gradum maioris intentionis in visione beata v.g. quintum gradum posse esse proportionatum premium vnius actus meritorij, etiam si in suo esse non attingat quintum intentionis suæ gradum, quia meritum non consistit in gradu intentionis, sed in valore morali actus, qui ex multis alijs capitibus confurgit, ut iam diximus, & ratione illius valoris est actus quasi æquivalens premium talis mercedis.

6. *Assertio 2.* Secundo dicendum est, in vno, & eodem actu augeri meritum ex augmento proprietatum, seu conditionum, quæ ad meritum de condigno concurrere possunt, aut debent. Hæc etiam assertio certissima est, sumiturque ex D. Thomas 2. 2. q. 104. artic. 3. & quodlib. 6. art. 11. ubi dicit, actum minus meritorium ex genere suo, esse magis meritorium ex alijs circumstantijs. Et latius 1. Corinth. 3. lect. 2. & ratio clara est, quia valor operis ad meritum confurgit ex varijs conditionibus, ut hactenus vidimus: ergo quo actus plures, vel meliores conditiones ex illis habuerit, eo erit maioris valoris ad meritum, ac subinde dignius meliori premio. Et confirmatur, nam duo opera meritoria possunt esse inæqualia in merito: hæc autem inæqualitas non potest provenire, nisi ex inæqualitate in conditionibus ad meritum requisitis. Ex quo enim alio capite oriri potest? Ergo ex illis conditionibus augeatur meritum vel in vno eodem opere in diuersis temporibus, vel in diuersis operibus in eodem tempore saltem in diuersis personis, nam in eadem vix possunt simul inueniri, quamuis non repugnet.

7. *Ostenditur præterea inductione facta per aliquas conditiones meriti.* De aliquibus ergo conditionibus concurrentibus in actu meritorio, vel ad meritum requisitis facile intelligitur, & extra controuersiam est, quod augeant meritum actus, si cetera paria sint. Primum id constat de excellentia actus studiosi ex specie, seu obiecto suo, ut testatur D. Thomas in dicto quodlib. & in dicto etiam lib. 9. ostensum est. Quia cum fundamentum meriti ex parte actus sit bonitas eius, quo hæc maior fuerit in ipsamet essentia, & specie actus, eo dignius erit premio, si in ceteris sit æqualitas. Secundo probat hæc ratio idem esse dicendum de omnibus circumstantijs augmentibus moralem dignitatem operis, siue augeant illam quasi intensius intra eandem bonitatis speciem, siue extensius, addendo

nouam accidentalem speciem. Quia priori modo est augmentum quasi intensius in morali bonitate operis: posteriori autem modo est quasi extensius, & æquivalens multitudini operum. Tercio erit hoc augmentum longe certius, si fuerit in relatione charitatis, nam quo hæc fuerit maior, tanto crescat ex eo capite meritum operis, & ideo actualis, seu formalis relatio magis augeat, quam solavirtualis, & intensius charitatis imperium, seu ex ardentiori affectu procedens, magis quam remissius. Et eadem ratione quodlibet imperium distinet virtutis augebit actum alterius in merito, magis quidem, vel minus iuxta suae perfectionis gradum, & secundum modum in superioribus declaratum. Et hac ratione dixit D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 6. opus ex voto factum ceteris paribus magis meritorium esse, quam sine voto factum.

Quarto etiam difficultas, quæ ex obiecto nascitur, meritum operis augeat iuxta doctrinam D. Thomas 1. 2. q. 11. art. 4. ad 2. & 2. q. 2. art. 10. ad 3. & in dicta lect. 2. Et ratio est, quia talis difficultas per se augeat operis bonitatem. Quinto meritum non parum augeatur ex augmento voluntarij, quod omnes etiam fatentur, nam quo actus magis fuerit voluntarius, eo, ceteris paribus, est magis meritorium. Loquimur enim de voluntario, prout formaliter distinguitur, à libero, & sic magis voluntarium dicitur, quod maiori affectu, & conatu voluntatis fit: at vero quod sit maiori conatu, & affectu, fit etiam actu voluntatis intensiori, quia ex maiori conatu oritur maior intentio, nec illa maior affectio potest in alio augmento ipsius actus consistere. Ergo illud maius voluntarium augeat meritum, quia intentio actus ex se meritum augeat, quia augeat ipsam entitatem actus, & consequenter etiam honestatem. Addo vero sexto, *Ex sexta.* etiam maiorem libertatem actus augere meritum eius, si cetera paria sint, quod videtur etiam extra controuersiam esse, tum ex illa regula, quod sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: at libertas multum conducit ad meritum, imo ad illud est simpliciter necessaria: ergo maior libertas de se augebit meritum: tum etiam quia maior libertas per se augeat laudem bene operantis, sicut è contrario in opere malo augeat culpam, seu demeritum eius, & facit peccantem magis reprehensibilem, & minus veniam dignum. Sicut etiam ignorantia aliquo modo excusat, quia minuit libertatem. Cum ergo hæc certa, & clara sint, de aliquibus alijs circumstantijs actus sunt particularia dubia, quæ in sequentibus capitibus prosequemur.

CAPVT XXI.

Utrum duratio, seu continuatio actus, ceteris paribus, eius meritum augeat.

Ratio dubitandi potest esse duplex. Prima veluti a priori, quia meritum consistit in actu interno, ut supra visum est, duratio autem nihil addit actui interno: ergo nec meritum illi addit. Minor probatur, quia physice rem spectando, illa duratio nihil addit actui, quia non est successiua, sed permanens, & ita nihil addit actui, sed est omnino actus permanens, sicut Angelus durans per horam, nihil amplius habet, quam in primo instanti recepit. Moraliter item loquendo, nihil videtur esse in illa duratione dignum maiori merito, quia voluntas nec plus conatur, nec noua, vel maiori libertate vitur, dum in eodem actu perseverat. Altera ratio ab inconuenienti est, qui *Secunda.* alias in quolibet actu continuato per aliquod tempus esset meritum infinitum, quod nullus admittet. Probatur autem sequela, quia meritum est talis proprietatis actus, ut in instanti perfici possit, sicut & ipse actus, unde in primo instanti, in quo fit actus, habet certum